



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Microsynodus Treverina

Mosham, Ruprecht von

[Solingen], 1540

**VD16 M 6437**

Memoriale Rerum Per D. Nicolavm Brvcnervm Mathematicu[m], nomine Rudberti à Mosham Doctoris, Decani Patauien. [et]c. in aula Moguntina expedien darum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36773**

# MEMORIALE RERVM

PER D. NICOLAVM BRVCNERVM MA

thematicū, nomine Rudberti à Mosham Docto

ris, Decani Patavien. &c. in aula Mo

guntina expediē

darum.

Primo, Reuerendiſſ. & illuſtriſſ. princeps et Cardinalis Mogun-  
tinen. &c. officioliſſime nomine Decani ſalutādus et rogādus, ut me-  
miniſſe uelit pia ac fidelis doctrina et adhortationis, quæ ex libris  
Monarchiæ et Palingeneſiæ fidei per compēdia primi et quarti libri  
Reuerendiſſ. et illuſtriſſ. D. ſuæ per eundem Decanum oblata et inſi-  
nuata ſuit. Nūc ad eſſe tempus, cuius occaſione quaquam obmittēda et  
negligenda ſit, Nam T. Liuius & ipſa ueritate teſte, Occaſio momento  
præteruolat, nunquam reditura.

Secundo, Reuerendiſſ. Cardinalis admonēdus, ut Mithroſynodum  
eorde, ore et opere, ſecum ipſe et cum principibus Electoribus ſuoſq;  
clero iuxta admonitionem et doctrinam Decani prædicti quamprimū  
celebret, & Cæſarem et Regem Ferdinandum ſuosq; conſederatos,  
à bello quod parāt, dehortetur. Nam nec religionis et fidei contentio  
gladio Martiali et temporali, ſed potius gladio ſpiritus et uerbo Dei  
dirimenda et ſedanda, neque inobediētia ſubditorum in Germania cru-  
deliſſimo et periculoſiſſimo bello et dubio Marte caſtiganda & emen-  
danda eſt. Peccatur enim utrinque grauiffime, quandoquidē tales ſunt  
ſubditi in Germania erga Cæſarem & Regem ſummosq; magiſtra-  
tus, qualis eſt Cæſar, Rex & ſummi magiſtratus erga deum deū que  
uerbum. Nempe ut utrique tam magiſtratus quam ſubditi deo deū  
que uerbo inobedientes, ita utrique à deo caſtigandi, & ſuis ipſo-  
rummet armis perdendi: & quemadmodum olim Iudæi & Iſrae-  
litæ in quoſcunque extremos orbis terrarum angulos à Turcis,

## MICROSYNODVS

Saracenis, Tartaris & à seipsis dissipandi sunt, nisi subito ad dei uerbum sincerum cōuertantur, ac iuxta formulam præscriptam in Compendio libri primi, pœnitentiã agant deoq; uiuant.

Præterea ut Reuerendiss. Cardinalis spectaculi nocturni quod per theatrum specillum crystallinũ collustradum, & per uerbu Christi, quo iubet & ait, *μὴ οὐκ ἴστε*, reformatum & in melius restituendum est, q̄ diligentissime meminisse uelit.

Tertio significandum Reuerendiss. & illustriss. Cardinali, quod prædictus Decanus statim à discessu ex Aschaffenburg inuiserit cum suo Megasynodo et Microsynodo Archiepiscopum Treueren. tum agentem prope uetustam Treuerim in oppidulo Pfsalco, illicq; habitã clementi audientia, manserit in diem quartum. Deinde q̄ se idem Decanus ad Reuerendiss. Archiepiscopum & Electorem principem Colonien receperit, ubi ut petitiones suas ad plenum nondũ exposuerit, ita necdum responsum habeat.

Deinde Reuerendus & generosus dominus Iulius Pflug amice et diligẽter nomine Decani salutãdus. Similiter dominus Cancellarius Moguntinus, Doct̄or Iacobus Reuter, Doct̄or Patroclus Gropper, Theodericus Vueinhemius, principis Moguntini Ecclesiastes. Qui omnes & singuli adhortandi & rogandi, ut ad Decanũ in aulam Colonien. aut in ipsam inclytam Coloniam q̄ primum scribant, eumq; in exilium nunc agentem suis amantissimis epistolis consolentur, Deumq; Opt. Max. ardentissimis precibus precentur, ut quod Decanus tanto ac tam pio studio pro illustranda gloria Christi illiusq; omnipotentissimi uerbi conatur, feliciter succedat. Quo autem hoc efficacius fieri possit, adhortatur Decanus prædictos suos fautores et amicos omnes, ut per diuinũ illud *μὴ οὐκ ἴστε*, Microsynodum penes se ipsos quã mocysime celebrent, & principem et Cardinalem ad idem faciendum adhortentur atque instigent. Imprimis tamen Decanus Theodericum Vueinhemium uerbi dei præconem admonitum uult, ut meminerit grauissimi ac seuerissimi dicti Christi quo ait: *Qui me confessus*

### TREVERINA.

fuerit coram hominibus, & ego cōfitebor eum coram patre meo et angelis qui in cælis sunt. Qui uero me negauerit coram hominibus, et ego negabo eum coram patre meo & angelis &c. Et ut idem Ecclesiastes & minister uerbi, duo illa diuina Christi uerba, *μὴ ὄνεις*, recte & perfecte discere uelit, ut quod didicerit, tandem efficaciter docere possit.

Item Decani nomine interrogandus est Melchior Vogt Secretarius principis, an epistolas aliquas ex Norinberga ad Decanū per scriptas acceperit nec ne, & quo illas transmiserit.

Postremo, Decanus summo studio tam apud Principem quàm apud fautores & amicos suos per prædictum D. Nicolaum Brucknerum excusandus, q. per temporis angustiam scribere ipse impræsens non potuerit, Actum in Bruel arce & aula Colonien. XV. Ianuarij, Anno MDXL.

Rudbertus à Mosham D.  
Decanus Patauen. suapte  
manu.

VIRO MVLTIS NOMINIBVS CLARISS.

Rudberto à Moshan, Doctori ac Decano Patauien. digniſſ. Domino ſuo modis omnibus obſeruandiſſ.

**E**Xcepi literas tuas excellentiſſ. uir, quibus ſignificari tibi petis quid per me actum ſit apud Reuerendiſſ. Cardinalē Moguntinū ceteroſq; amicos. Primo omniū officiōſiſſime ſalutauī principem nomine tuo: & quia præter hæc quæ in mandatis erant, commētābamur de huiusmodi rebus, puta ſuper religione, de ſtatu Germaniæ, deq; cæteris, commodum incidi in mentionem, naſta uidelicet iam occaſione, cœpi Principi proponere themata Memorialis, ſimulq; de promēſ, ſtatim è manibus capit Princeps, legit attentiſſime, quibus de ad duas fe re horas colloquebamur. Neque grauatim hæc ſuſtinuit Princeps, tam eſt ad multos dies decubuiſſet grauiſſima uale tudine. Audiui Principem differentem de eiſmodi rebus, ut bona ſpes ſit futurum, ut pacem habeat Germania, ſi ad hunc ſcopum cæteri ſpectābūt principes, præſertim Electores, id quod minime diffido. Expoſui prætere a huius anni incommoda exaſtris quoque, quæ quosdam manent, niſi prudentes fuerint. Utinam liceret coram multa, id quod te exoptare uideo, nec minus ego: at quia iā fieri non poteſt, breui fiet. Sum aſcensurus ad principem Palatinum Electorem, infra quatuordecim dies, poſtea ad nundinas Francfordien. à nundinis uero, deo bene uolente, deſcendā Coloniā, ubi de omnibus commētābimur. Secretarius Mogunt. Melchior dicit ſe receptas è Norinberga literas Coloniā miſiſſe. Genitura ſic habent. Imp. natus eſt XXIII. Feb. ho. XV. minu. XLVIII. MD. Alter IX. Martij, ho. XX. mi. LH. Anno MDIII. Figuras ex me habebis cum uenero, cum reuolutionibus, ut uocant, huius anni. Vale interim excellentiſſ. Doctor, & me quemadmodum cœpiſti ama, ad Confluentes, XXVII. Feb. Anno MDXL.

Ex animo tuus.

Nicolaus Prucnerus.